

colorchecker CLASSIC



0 cm 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

x-rite

mm

10000


10000

10000

10000


10000

10000









№. 10636

Cat. Moreau
n. 146.

8600-10

1
ARCHIPRÆSVLIS
IN IOANNE
FRANCISCO PAVLO
GONDÆO,
PROPTER IMPVGNATVM
MAZARINVM,
GERMANVS CHARACTER.
ORATIO PANEGYRICA.



PARISIIS,
Apud MATHVRINVM HENAULT, viâ Iacobæâ,
sub signo Angeli Custodis.

M. DC. XLIX.
Cum Licentia.

98

ARCHIEPISCOPALIS

IN LOAN

FRANCISCO PAVLO

GOLDFELD

PROPTER IMPROBAM

MAERITUM

GERMINIS CHASTITATIS

ORATIO PATRISTONIA



1812

and returned to the

of the

of the



ILLVSTRISSIMO ET
 REVERENDISSIMO D. D.
 IOANNI FRANCISCO
 PAVLO DE GONDY,
 SACRO CHORINTIORVM ANTISTITI
 ET PARISIENSIS ECCLESIAE
 Coadiutori meritissimo.



ARMATAS tuas infulas dum
 adorat publicæ gratitudinis unani-
 me consilium ARCHIPRÆSVL
 ILLVSTRISIME. Elinguis esse non po-
 tuit suada militaris, ut tibi vel cum sago etiam
 & pilo fieret Panegyrica: Neque enim arbitra-
 tus sum absonum fore, si Pallas nostra transf-
 iret in Mineruam, cum in te prius in Pallada
 transierit Minerua, ratumque tuo feceris cal-
 culo, non à cudone mytrato nobilius, quam à
 galea caput illustrari, ubi recludit pietas Iani
 limina, fatalesque reserat valvas in publicæ li-
 bertatis vindictam. Masculum illud animi tui

robur, quantum impresserit Mazarino mo-
 mentum, ut qui nutanti quamquam vertice
 stabat, adhuc affligeretur; vel ex eo liquet, quod
 unico videlicet impar, nostra Themidis, fulmi-
 ni fictile caput; te totis depluentem anathema-
 tibus non potuit sustinere, cui nimirum non
 tam ab humanis quam à diuinis ignibus coa-
 luerint fulmina, ad improbitatis mulctam. Cre-
 diderim equidem, allambisse tibi labia fatales
 Isaia carbones, vel infusum certe potius tibi
 duplicem Helia spiritum, quo scilicet (ita mi-
 les sacra interpretor) non ab odais vehemen-
 tior in Leviatan, quam è castris in Amaleci-
 tas detonares. Ita certe bifariam ab eodem spi-
 ritu diuisus eluxisti, cum è sacris rostris ex-
 scendisti in Olimpium puluerem, recensque è
 cameratis delubrorum Tholis Antistes, subisti
 ad Metymnea tentoria generosus pugil, ut sa-
 cris assuetas barbytis aures, praberis tubarum
 cantibus, umbonésque, non secus atque ady-
 ta, in tripodem & cortinam exstrueres. Nec
 nouum illud est, & insolens, siquidem, dum
 insudas libertati publica, meministi solemne
 illud

illud extitisse quondam Antistitibus, ut manumitterent, iugumque subtraherent mancipijs, quod seruilis imposuerat humilitas. Inde patet, **ANTISTES REVERENDISSIME,** quam Germanum Archipræsulis exaraueris characterem, vel quantam exarandi potius in te characteris materiem suggesseris, quem nempe non oratorem modò sed authorem insuper habuerit libertas, senseritque periclitatura pietatis candor auitus in impugnando Mazari-
no restauratorem. Utinam saltem ad nobilio-
rem victoriam quemadmodum & capite, ita & pedibus stetisset aureis hæc Nabucodonoso-
ris statua; cum enim pedibus assurrexerit fi-
ctilibus Mazarinus, utpote quem vilio-
rem terrigena genuerit Pelorum, vix, fictili fun-
damine nitentem statuam afflixississe dicetur
operæpretium. Sed quem humiliorem cuna,
grandiorem tibi fortuna subiecit, & purpura-
tum insuper voluit esse, ut quemadmodum
Herculi, Nemeen-
sis leonis exuuiæ, ita tibi Si-
culus murex cedat in insigne, fiasque demum
è protrito purpurato, purpuratus: nec vota

prauertet , nec spem exitus , & expectatione
 nostra tardior futurus , & merito tuo , cui nec
 Roma suffragabitur unquam , ut par est , nec
 Gallia , nisi ereptam Mazarino purpuram ,
 triumphatura virtuti tuae demum imposuerit.
 Hoc apprecatur non tibi , cuius videlicet ani-
 mus in his fastidiat caducis , sed Gallie ad
 gratitudinem , qui præ ceteris omnibus ambi-
 ret haberi ,

ANTISTES ILLVSTRISIME,

Obsequentissimus, addictissimus
 & deditissimus tibi seruus

MATTHÆVS DV BOS.



ARCHIPRÆSVLIS

IN IOANNE FRANCISCO PAVLO

GONDÆO,

PROPTER IMPVGNATVM
Mazarinum, Germanus Character.

ORATIO PANEGYRICA.



Hoc vnum supererat fœlicitati Publicæ
 (PRÆSVL ILLVSTRISIME) vtiam
 deuotus omnibus gentilium tuorum
 diris Mazarinus, tibi denique postre-
 mum fieret anathema, iustissimisque
 Themidis nostræ fulminibus percussum caput fe-
 rale, caderet æquior nostris furoribus victima,
 dum tu Pastoralis pedo fulminaturus, in execrabi-
 lem terrigenam generosior immineres. Sciebamus
 profectò fatalibus ingemuisse sibilis hydram illam,
 cum sibi tot opponi senserat Alcides: sed numero-
 sior è cladibus suis extitura, semper ab excidio suo
 renatura videbatur atrocior, donec ex ore illo tuo,
 tanquam è fatali busto, bellatrices sensit emicare
 flammæ, quibus incensa corrueret, quæ vel Tirin-

tio percussa stipite, numquam tamen excidenda credebatur. At enim poteratne, malleatum quamquam Mulcibero caput, non emollescere, ubi te audiuit detonantem, sensitque Catilinarius suis furoribus maiorem accessisse Tullium, cuius victricem suadam vel ipse pollutus toties, à scelestissima criminum colluie murex Ecclesiasticus adoraret. Non potuit certe non succumbere, qui que ferri hactenus spreuerat terrores, verborum tuorum haud sustinuit fulmina Mazarinus, veritus ne bellum quod prophanum sperauerat fore, te duce sacrum fieret, insurgeretque deinceps non secus in illum Gallia, ac si vel Mustapham alterum, vel Amurathem fortuna nobis impugnandum obiiceret. Et certe, quis non assurgat generosior in clypeum, quem tu tessarario crucis caractere præsignasti, quis arma non attrectet audentius, quæ defumta meminerit ex penetralibus templorum adytis, non tam in periclitantis regni, quam candoris Gallici defensionem? cui non cedit in votum, vel ipsa, præmatura mortis accessio, quæ tot habet illecebras, ex quo te habet hortatorem, desinitque timeri ex quo tu subtraxisti laruam, quæ ad terrorem obducebatur.

Timebamus enim uero, vel in propellenda Sicaniæ dominationis tyrannide, nescio quam rebellionis umbram, dum recursaret animis ADEODATVS: noster, quem nocturno quamquam latrocinio præreptum partibus nostris agnosceremus; suspicabamur

mur tamen, illæsa vix posse Majestate repeti, nec fas esse stringere gladium, etiam in illos hostes quos sælicitatis nostræ prædones intueremur. Sed vbi præcedere aduertimus Pontificales illas tuas infulas, recentibusque è quotidiana Lyturgia manibus, rotari ferrum in publicæ libertatis vindictam, etiam in senibus recrudit defflocata quamquam ætate reditiuæ quasi iuuentutis vegetus vigor, puditque vel infantes, non videri imperterritos ad vulnera, & arma, quibus Metropoleos Gallicæ supremus Antistes, vir iuxtà pius ac bellicosus primipilus accessisset.

Ne tamen Andabatarum more, videar in hoc immenso laudum tuarum æquore discurrere, hærendi priuatim in singulis, imponit necessitatem infinita materies, quam si tota vitæ tuæ, quanta patet intercapedine, velim insectari, videar equidem audentior illo qui totam in nucleo quondam stipauit Iliada, vel illo certe Romano præfidentior, qui Sibillinos furores vno se spiritu decantaturum non temerariè magis quam insipidè iactitabat. Tuus itaque nequaquam futurus Stesicrates, neque te te in Atho efficturus, te te modò ex hac vnica in Mazarinum conspiratione tamquam è compendio fatagam in volumen explicare, vt tantus videare, quantus eluxisti, dicatque non nemo, vel ex hoc vngue Leonem, sed leonem illum è Tribu Iuda, cui vel satis est pugnaces excussisse iubas ad victoriam, exertoque linguæ minacis hiatu infremuisse ad triumphum.

Hic imprimis velim patiari ILLVSTRISSE
 PRÆSVL, cieriari te iudicem, nempe modestio-
 rem, quam vt suo sibi calculo suffragari possit illa
 virtus, quę si tamen expendatur ad æquioris truti-
 ne momentum, non adæquanda modo cum ipsis
 Parisiensis Ecclesię luminibus; sed omnibus elap-
 se retrò vetustatis seculis anteposenda videatur.
 Neque enim præsignatis maiorum tuorum vesti-
 giis ingressus sustinuiti, donec gradatim assurge-
 res ad editum illum magnitudinis apicem, in quo
 non illos fortuna, sed consultę sapientię pruden-
 tius numen seffores esse voluit, vt quam in rectis-
 simam Gallorum amussim excoluerant virtutem,
 eam, vel visendam in hoc circo, vel spectandam in
 hoc amphitheatro facerent. Vnicus te te gradus
 huic imposuit, fastigio, creditusque sacrarum pa-
 ginarum decantatus ille ad citharam gigas, certis-
 simam iniecisti de Amalecita siculo spem victorię:
 si te pharum in consilio, ducem in opere, rectorem
 vbique acciperemus.

Rapiunt me profecto non vulgares istius tantę
 virtutis illecebrę, neque colligari patiuntur dispa-
 ratam orationem, vt saltem in præfinitis immen-
 sę quasi periodi terminis adhærescens, cum te to-
 tum in omni te, non possit cohibere, te totum sal-
 tem vel in hac vnica tui parte propemodum ample-
 ctatur. Quid enim in præfule desideret vel scrupu-
 losior iudex, quod in hoc contra pertinaces Maza-
 rini asseclas consilio non expromferis? Scientiam

ne? religionis studium? an magnitudinem animi, triadem illam equidem, cum antea semper tum in hac potissimum occasione ita visendum effecisti, ut, vtra præstiterit alteri, vel sagacioribus quibusque dubium esse possit.

Scientiam in primis attingere non abs re fuerit, utpote cuius vnus præuio lumine discutiendæ fuerint illæ nubeculæ, quibus vel ipsa, manifestissima quamquam armorum nostrum æquitas obnubi posse videbatur, nisi te solem haberemus. An enim sine religione processissemus armati contra factiosos illos, qui sub Regiæ Majestatis plusquam septemplici clypeo protecti, gladiatorum sese nostrorum vulneribus imperuios effecerant? an classicum vnquam passi essemus occini contra turbulentum illud seditiosum agmen, qui quamquam auctoritatis sese Regiæ mentirentur asseclas, poterant tamen huiusmodi vendicare, quandiu Porphyrogenitum nostrum in partibus suis esse causarentur! annon pro ingenita Gallorum animis erga principes suos indole etiam reclusis iugulis ante currissemus ad vulnera, quam gesta nostra intorsissemus in hanc partem, à qua, licet inuitum & nequicquam reluctantem, Augustulum nostrum stare cognosceremus? Derogasset illa Gallico candori fictitiæ quamquam rebellionis imago, læsumque Regiæ Maiestatis numen eam inuississet nomini nostro notam infamiæ, quam nec obliterare po-

tuiſſet vlla reuolubilis annorum ſeries, nec vlla de-
 mum vel profuſi etiam ſanguinis noſtri prodiga
 deſperatio compenſare.

Accepimus à Libanio diuinæ lucis eſſe ſcintillam
 regale omne iubar, ac proinde vel ſacrilegos fore,
 vel prope blaſphemos obtutus quos in illud ſine
 ſumma veneratione audentius deſigeremus: didi-
 cimus à Stagirite ſolium eſſe cælicæ maiestatis ſu-
 percilium regale, & æternum armorum ipſius ta-
 bernabulum, cuius altiſſima ſuffodere fundamen-
 ta nemo vnquam annexus eſt, quin ſtatim eidem
 ſuccubuerit ſuper incidenti, machinæ quam ſuccu-
 tiebat: intelleximus ab Entheo Propheta Chriſtos
 eſſe Dei Reges, & Imperatores, quibus ſacrilegas
 non alius poſſet manus iniicere, quam qui vel Idio-
 mencorum ſuperbiam, vel Luciferorum temerita-
 tem æmularetur: & ille multiplex cum recurſaret
 animis noſtris regum character, tanto hætebat al-
 tius, quanto digniorem hoc tanto culmine cenſe-
 bamus LVDOVICVM noſtrum, quem obſetri-
 cante Deo ſterili profuſum vulua, vix audebamus
 ab ipſis draconum vngulis eripere, veriti ne lædere-
 mus inter colluctandum, quem ſine cladibus haud
 poſſemus in auitam Francorum regibus maiesta-
 tem aſſerere.

Quid ergo faciendum incumbibat nobis, qui-
 bus non amabilius eſſet THEODOTI noſtri ve-
 nuſtas, qua eiſdem maiestas regia venerabilis:
 ſubſtrahi non poteſt ille BAZILIVS ab imminen-
 tis

tis apri dentibus; nisi vel ipso præfente gladius in ferocientem bestiam expediatur: Naufraga Gallici Xerxis maiestas nostro beneficio minacibus non potest defungi procellis, nisi vel ipsum gratiosorum quorumlibet caput periclitetur: exigi nequam posse videtur gladius in hostis Siculi viscera, nisi per medium, quo sinum armauit, regem traiciatur.

Quid hic capies consilij Gallica virtus? quem expedies in Eunum Perpennam? quem in Gracchum, Scipionem? quem in hunc denique Catilinam, Antonium allegabis? Confodiendus est draco, sed eripienda prius incumbit ab vnguibus regalis præda, vt illæsa possit maiestate, vel tricuspide etiam venabulo prædatrix bestia traici: propellendus hostis est, sed laceffi vix potest impune, qui sibi videlicet opposuerit in vmbonem, quo, neque tu velis vibrare missilia, neque præveneratione possis: perendus est Mazarinus, sed aut SANCTA SANCTORVM, aut adytum fecisse videtur è sinu, ex quo erexit in regie maiestatis folium.

Aberras, aberras profecto, dum hæc ita sapis. Attende Chrysofomi tui torrentibus aureis fluctuantem eloquentiam, ausculta mellitæ tui demum Ambrosij suadæ diuinam facundiã; conticesce dum ex Platone tuo non fictitii Iouis Christianum detonat eloquium, obmutescce dum è Memnone tuo, toto illustrata cælesti sole prodeunt oracula; disce demum à Thybræo tuo, ferrum, non in regem

stringi, sed in Mazarinum; disce propius nihil esse, quam vt vesperarum Sicularum, celebratissimus ille iterum grassetur in Gallos furor, disce Siculum illum Constantinum, Romano longe ferociorem, publicam innocentium meditari carnificinam, vt contractas in sacrilegis coitibus vel elephantia seos veneræ, vel Itale potius scabiei sordes abluat: disce hoc vnicum esse cyclopi Æthnæi consilium, totam vt depopuletur Galliam, ad patrios iterum fines non tam opum nostrarum, quam ipsius regiæ maiestatis clandestinus prædo, captiuo pudore nostro transfretaturus.

Vtinam, ANTISTES MERITISIME, vel effervesce mihi posset animus eo ardore, quo nuper è Lutenianis rostris in scelestum Mazarini caput detonabas, vel deriuari certe posset in os meū, aliquis ex hoc immenso eloquij tui flumine, riuulus: vt quæ tu victricia deuibrabas fulmina, eadem ego iam te authore fabricata, non imperitus tyro iterum in eundem intorquerem: proderem vsurpandæ tyrannidis vel ab infami mancipio detestabile consilium, ostenderem extrinctum candoris Gallici pristinum iubar, iam prope Siculo liliorum nostrum administro defloruisse: probarem plures inuectas ab vnico in Galliam calamitates, quam si, vel Alanorum effusa multitudo, vel Vandalorum copiæ prædatrices in terras nostras inundassent: indicarem hunc esse oblatum nobis à fortuna nostræ fidei lapidem heraclium, vbi sese au-

thoritatis Regiæ sectatorem non alius ostenderet, quam qui coniuratis cum inuictissima Themide nostra viribus, contra Mazarinum insurgeret: Sed in illis satis illa triumphauit facundia tua, quam in aliis vbique semper demirati, nec Tulliorum ætati, nec Liuiorum, & Senecarum seculis, suos eloquentiæ coryphæos inuidebamus, qui tete videlicet instar omnium aduerteremus: neque enim vel in pronunciando Demosthenes, vel in detonando Pericles Olimpius, vel in sententiis Æschines, vel in leporibus oratoriis Cassius, vel in rationibus tecum audeat vel ipse Cicero contendere. Rhodanus eloquentiæ fuisses Hieronymo, vt Hilarius, Si te Romanus ille cœtaneum habuisset: sincerum te sophistiam existimasset vt Dionem, Traianus, si te Deus huic dedisset seculo: Magistrum concionatorum appellasset, vt Ambrosium Theodosius, si tibi carpendam perinde Thessalonicensem cædem dedissent fata, atque Gallicam dedere: Sed prudentiori diuûm mente nobis reseruatus es, vt qui Guilhelmum experturi eramus, Bernardum haberemus, vt esses nobis alter contra Constantium Hilarius, neque Maximi nequioris vereremur minas, si nobis ipse vel Martino maior vel æqualis appugnares.

Hæc Elogia non dubito quin dedignetur infusus ille tibi propriarum laudum pudor, qui videlicet alienis totus semper insueueris, habuerisque familiaris vnquam nihil, quàm vt te tanto depri-

meres humiliter, quanto altius euchi merebaris. Sed nisi sapiunt encomia, silentium impone rumor publico qui iam ubique factus est vocalis, ut tibi fieret Panegyricus: tacere nemo potest in tam loquaci materie, & qui spectari non potes sine miraculo, quid mirum si nec possis sine stupore pariter celebrari? Si gratiæ perquiris abstrusissima mysteria, Hipponensis es; Si triados æternæ diuinas obtueris tenebras, Pictauiensis; si pietatis, & religionis hostes insectaris, Athanasius; Si Sacrosanctis Præsides cætibus, Origenes; si pulpita conscendis, Chrysofomus: ubique Præsul, ubique purpuratorum maiorum non degener nepos.

Quis enim nesciat è Sorbonico te puluere, tanquam ab olympio Principem Athletam in sacra Doctorum Orchestra consedisse? quis ignoret nullas in Theologicis extitisse vel abstrusiores tenebras, quas pro ingenita tibi sagaciori mentis acie penitus non peruestigaueris? quis iuerit inficias focias in te nobilitatem & doctrinam conspirasse, ut ereptum seculo lumen ad illustrandam Ecclesiam transmitterent. Omnium es spectaculum, omnium theatrum, omnium circus: ad te tanquam ad primeuum exemplar exigitur virtus publica, omnium tenebris, omnium pharus allucescis, minor tibi, maior nobis nemo est; quis æquius iudicet, ipse videris: hoc certe liquet suffragari te nostro iudicio, si verum negaueris, quantoque te de primis modestius, tanto digniorem videri, altius ut extollaris. Aber-

Aberrasse me crederet à proposito scopo, quis non attenderet, expediisse videlicet, tantus ut publicæ causæ, non modo daretur Orator, sed Theologus, ne dubiam suspicaretur Oratoris fidem Sicula factio, dum Theologi aduerteret integritatem, fatereturque vel pertinacissimus vnusquisque sectarius, factiosum se tyrannidis alienæ, nisi statim ad eas partes concederet, quæ Gondæo clypeo protegerentur. Quis enim omnis alexæ securus ad hæc se castra conerat, vbi te fulminante, vel ipsis densiora, nimbis anathemata depluunt? quis non deficiat ab Amalecitis, quos vel sola supplex Moysis dextera protritura sit? quis Mazarinum illum nequiorem Saporem non deserat, in quem videlicet è Lutetianis arcibus tanquam è Nisiblenibus Iacobum detonare perspexerit? quis tuis denique præcedentibus vestigiis non ingrediatur, si te meminerit esse propositum in amissim, ad quam se dirigat, in pharum, cuius illustretur lumine, in terminum, à quo verum virtutis tramitem edoceatur, erraturumque semper quisquis ab eo deflexerit calle, quem tu presignaris.

Sed in hoc contra Mazarinum consilio non tantum eluxit acumen ingenij, quantum effulsit antiquæ pietatis studium, cui compendiosè te consulturum existimasti, si vel in vnico Mazarini capite suppullulantem in noua semper capita Sicania impietatis hydram elideres: Senseras profecto

PRÆSVL VIGILANTISSIME, dum creditum tibi animarum munus citra invidiã defungeris, intepuisse iamdudum Gallicæ pietatis auitum ardorem, diuinæque synaxeos sacra deserui conuiuia, ex quo Sicularum mensarum delicatior apparatus in veterem Maiorum nostrorum parcimoniam irrepisset. Suboleuerat tibi Tenarei draconis iuge illud & perenne consilium, quo se Gallico candori non astutius insidiaturum crediderat, quam si Si-
bariticis moribus gentile nostrorum hominum robur eneruaret, Italamque mollitiem masculo nostri Temonis regimini præficeret. Aduerteras lubentioribus excipi auribus Latiorum dramatum scurriles nugas, quam illa sacra diuinæ pietatis femina, quæ vel à sacris aliis præconibus, vel à te ipso liberalius tamquam ab oraculo, in vulgus affatim spargerentur.

Quo tamen pacto refrigescentium animarum, iam elanguescentes excitabis Christianæ charitatis fauillas, nisi quem auitæ pietatis extinctorem probe nosti, iubeatur ille procul ab aula nostra facessere, ne tuis pro restaurando sinceræ religionis cultu consilijs, vel vnicus inexpugnabilis obex obstruatur. Purpuratis in aula criminibus superbit impietas, generosior habetur, quisquis censetur audentior ad crimina, grandioribus insolescens vestigijs prolixiori nostrarum facultatum syrma-
te curru vehitur quadriiugo triumphalis auaritia. Hoc denique euicit, Mazarino duce, impro-

bitas, vt etiam cùm Augustino multos hodie pudeat non esse impudentes : quasi vero non satis sit proiicere sese ad clandestina scelerum furta, nisi vel illota & perfricta fronte, vel erecto supercilio demum, in hanc voracissimam flagitiorum Charibdim irrumpatur.

Exurge, exurge tandem, ANTISTES VIGILANTISSIME, & quæ tibi non sine prouida diuûm mente commissa est Lutetianæ pietatis causa, eam in hoc tanto criminum confluxu naufragantem, è mediis eripe frementium procellarum fluctibus, vt pristinæ securitati restituatur. Irrumpe, Samuel, in hunc execrabilem Agag, cui nempe nimis ingenitæ nobis modestiæ simplicitas hætenus indulgit : detona, Moses, in hunc Pharaonem, qui vel ipso Marpesio durior marmore, nulla spes est, vt emollescat, nisi te desuper fulminantem audiuerit : Insulta, Alexander, huic Barberroussio, quem vel aspide deteriorem, vel basilisco semper tardius eliseris, vt qui nostro semper sanguine pergat intumescere, neque sit abstiturus ante, quam exhaurerit totum, vt denique disrumpatur.

Si Mazarinum percusseris, vindicis tibi castitatis, meritissimum agnomen, vt Iunio quòdam imponetur. Si Mazarino insultaueris, Michaëlem te non fatebitur nemo, vt qui vel ipso Tenaceo, fœdus monstrum protriturus sis. Si denique detonueris in Mazarinum, detonuisse te puta in centimanum, cui videlicet vnica non satis esse potuit

ad latrocinandum dextera, nisi centum manibus Briareus ille deprædaretur.

Castitas hæctenus te fautorem habuit, dum in fœdos venerarum libidinum asseclas è pulpitis facris fulminares: modestiæ suffragatus es, dum intemperantis lasciuæ fluxiorem luxum, rigido tuæ moderationis exemplo castigares; pietatem vel in frigidioribus etiam animis satis affatim accendisti, cum non tam verbo iuberis quam opere, nec maiora teri velles in progressu virtutis vestigia, quam quæ præsignares; Virtutibus te te denique sed singulatim impendisti, diuisus ad singulas non omnibus te semel dedisti; enitere modo aliquid supra mortalem, & omnibus vnâ famulaturus, omnium hostem aggredere, vt ARCHIPRÆSVLIS augustissimo titulo, multiplex istud deffensarum virtutum accedat agnomen, fiasque statim omnium sectator, dum te vel vnico Mazarino negas deffensorem.

Non expectasti profecto, dum accederet paræneticus adhortator, & qui semper virtutibus seligendis vigilem excubitorem præfeceras animum, sagaciorem habuisti, vel perspicaciorem certe, quam vt hanc sibi tantam promouendæ sanctitatis occasionem præterlabi pateretur: vidisti iam tandem illuxisse diem illam, qua refoueres emorientes iam prope pietatis Gallicæ fauillas; sensisti peccaturum te, si conticesceres amplius, neque quam facundissima posses suada, totis etiam anathema-

matibus in scelestum Mazarini caput deplueres, credidisti deponendam tibi tandem esse pietatis togã, vt eiusdem sagum assumeres, fieresque è Sacerdote miles, è togato paludatus, è Præsule Imperator.

Hic patere tantisper, PRÆSVL ILLUSTRIS-
SIME, hæreat vt admirationis meæ stupor, dum è pulpito exscendis ad castra, transis à templo Pacis, ad Bellonæ fanum; & fatale reclusurus ipse Iani limen, in Mazarinum tanquam in Mussulmanem tesserarius sub cruce miles egrederis: vicisti profecto expectationem nostram, qui videlicet hoc à te exigeremus, vt ad virtutem, non ad arma præcederes, & qui tranquilliozem dumtaxat esse credebamus pietatem, didicimus fieri posse præliarem, dum te te degeneribus ostenderes imperterritum ad vulnera, probarésque vel mediis immittus cuneis, scælicius esse nihil, quam si quis animam proiiceret ad pericula, quæ pro deffendenda patriæ salute subeunda proponerentur.

Festina lentius oratio; dum tibi Gondæus suggerit miracula; hærendum tibi, ne balbutias, vbi visa est tibi virtus ipsius tolutaria: velocius ab ipso, quam à te memorari, fieri possunt prodigia: siste gradum, ne transuolando prætereas, quod te posthac omisisse futurum sit vt pœniteat. Mirata es scientiam, obstupuisti pietatis non vulgare studium, reliquum habes vt in ipsius animi magnitudine, quam sis depressura verbis, obmutescas: lau-

da tacendo, & in eloquentia tua, ne aberres, ipso
 vtere silentio ad Panegirim: an enim, vt par est,
 exponeres quantus eluxit, nisi te ad illud idem
 exponendum imparem ostenderes? an non esset
 inferior tantæ virtutis admiratio, si verborum da-
 ret copiam, ibique, præ abundantia redundaret
 oratio, vbi præ stupore desideretur ad eloquen-
 tiam, vt obmutescat. Vulgaria laudantur loquen-
 do, nutu efferuntur insolentia, prodigiosa, nisi de-
 figant stupore, deprimuntur. Heroicarum videli-
 cet rerum ita sibi vendicare debet animus enco-
 mia, vt vel inde videatur impar, si sensuum & lin-
 guæ beneficium desiderari patiatur.

Quid enim hîc ad Heroicam illam animi tui
 magnitudinem eloquerer apte (PRÆSVL GENE-
 ROSISSIME:) Accerferem ab incorruptis rerum
 gestarum monumentis sacras illas veterum Anti-
 titum iconas, in quibus natiuis, & delictioribus
 expressum delineamentis Lutetia te te tua conspi-
 caretur? graderer retro per annalium volumina,
 vt tibi vel quærerem tholum in his templis, vel in
 his denique sacrariis ad oracula cortynam adopta-
 rem? Bizantio non inuiderem aurei sui Demosthe-
 nis inuictam animi celsitudinem in Eudoxiam?
 Mediolano relinquerem melliti sui Platonis He-
 roicum robur in Theodosium? Extenuarem Ale-
 xandriæ Christiani Herculis sui contra Geryonem
 Imperatorium indefessam semper audaciam, & in
 te vno, quæ sparsa non obstuperem in multos, col-

lecta vix tamen omnia demirarer.

Impari mihi viderer adhuc encomio, strenuam illam animi tui celebrare magnitudinem, quam vel propterea cæteris esse censuerim anteponden- dam, quod te blandienti etiam Mazarino sectato- rem nūquam addixeris: Stetit, fateor, cōtra Theo- dosium audacior Ambrosius: sed qui rem esse scie- bat sibi cū amātissimo pietatis Imperatore, nō tan- tā inde sperare debuit victoriā, quantā tu è Mazari- no, qui cum eiusdem extinctore pietatis colluctan- dum habueris, & generosum potuit Achillem Am- brosius reri faciliorem ad veniam, quam emacula- tum tu Therpsitem, quem pro indita gentilibus suis indole, iniuriarum esse pertinacissimum haud ignorabas. Detonuit in Eudoxiam aureum os; sed in viragine quam suspicari poterat vnam ex Ama- zonibus, virile se nacturum esse robur existimauit, cum tu virile nihil ab eo potueris expectare qui iam ex assuetudine venerea, etiam infra scæmineam mollitiem degenerasset, ac fecisset ea propter, vt esset ad virilem clementiam imbecillior, si vince- ret. Cum tribus colluctatus est Porphyrogenitis Athanasius, sed inualidius fuit Arrianas spreuisse minas in impietatis Eoæ sectatoribus, quam tibi pellaces spreuisse blanditias in Mazarino, qui cum expugnare te non posset, vt corrumperet certe ni- hil non adnitebatur. Sciebat faciliores nullas esse palmas, quam quæ blandienti dextera succideren- tur: nouerat vinci facilius qui titillatur, quam qui

impugnatur: non ignorabat fortiores nullas esse
 machinas ad victoriam, quam quibus posset ani-
 mus emollescere, vt lentior ad congressum super-
 esset. Propterea suppalpabat adulanti te te cauda
 vt scorpio; fallacibus pertentabat lachrymis vt
 crocodilus; argenteas ostentabat catenas quibus
 vel spontaneum alliceret ad seruitutem; torquibus
 aureis imminebat femiur Medeanus, ratus vel in-
 consulto, te, auri mendaci splendore ruiturum ad
 rapinas quibus ipse totus infueuerat: sed è carce-
 rum minis, è blanditiarum illecebris victor osten-
 disti, non minus esse tibi palmarem animum in mi-
 nas, quam in illecebras triumphalem, nulloque
 demum ab hoste maius imminere periculum,
 quam ab eo, qui beneficia prodigit, vt opprimat.

Debuerat profecto meminisse, si tamen potuif-
 set sapere Mazarinus, fatum te ab ea gente, cuius
 illibatam integritatem, nullæ potuerunt vnquam
 præmiorum imbelles insidiæ corrumpere, & qui
 tibi potissimum toties obstiterat, dum Principem
 in hoc Ecclesiastico theatro personam sine fabula
 sustineres, perspexisse potuerat itidem, nudam tibi
 semper virtutem arrisisse, quæ propriis satis ani-
 mosa diuitiis, alienarum indiga non videretur, vt
 te compensaret: ita enim si sapuisset, intellexisset
 profecto temerarios illos fore conatus, quibus pu-
 blicæ tranquillitati, quam tu promoueres, ob-
 strueret obicem: censuisset exigendum sibi ad
 equitatis amissim, regimen omne Politicum, in
 quod

quod videlicet peruigil illa tua censoria virtus immineret : Iudicasset generosiorē esse tibi virtutem, quā ut se non interponeret nefariis in fœlicitatem publicam consiliis, licentiorēque suorum furorum intemperantiam inoffenso pede volitare pateretur.

O te igitur fœlicem, vel ô nos potius fœliciores quibus videlicet in aliena tyrannide periclitantibus defensor obtigisti. At enim si tibi virtus ad inertem illam procerum aliorum mollitiem degenerasset, si concessisses ad Siculas Mazarini partes adulantior Politicus, iterum ad pristinas calamitates reuoluebatur in præceptis Gallica fœlicitas, & ab hac suboriente tranquillitatis aurora, non ad publicæ pacis radios sed ad inferiores rursus tenebrarum ærumnas recidissemus. Rediisset è sancti Germani fano tanquam ab vluva Minturnensi ferocior Marius, resumptisque postremo Gallia supremis fascibus, in publicam ciuium nostrorum innocentiam effrenis vltor debacchatus fuisset, tunc satis fuisset ad capitale crimen, potuisse mori, & permissa forte scelerum licentia non alius Mazarino visus fuisset innocentior, quā qui ad purpuratum, purpuratus accessisset.

Sed prius impugnandus eras, quā nos ille impugnaret, & vel in hoc temeritatis insimulandus esse videtur, qui de nobis videlicet sperare potuerit ante victoriam; quam te superasset, quem nobis imperatorem fore, vel cæcutiendo perspi-

ciebat. Verum ex qua te tui parte potuisset laceffe-
 re, quem nimirum, vt Achillem Thetis Stygiis per-
 fufum liquoribus, ita parens virtus cæleſtibus ir-
 roratum te deliciis, vel lethalibus omnium telo-
 rum vulneribus, imperuium effecerat: etiam ipſe
 calcaneus vix in te patebat vulnere, vtpote quem,
 dum proteris caduca, reddideris durioſem, quàm
 vt vlllo ſemiviri Paridis telo poſſit tranſuerberari:
 An te cæco adortus marte, dignitatum oſten-
 taſſet tibi ſuperbas coronides, ad quarum faſti-
 gia, modo ſuccumberes ipſi, te iuraret euehen-
 dum! aſurrexeras vel è cunis altius, quàm vt am-
 plius ab ipſo poſſes euehi, & vel in humilitate ſu-
 perbiorem exiſtimaffes te naſtutum pompam, ſi
 tam ſtrenue contemneres hæc futilia, quam hūmi-
 liter ille propinaret: An contortis & aculeatis ille
 ſophiſmatis, erroribus obducere ſategiſſet aſſue-
 tam commentationibus ſacris animam, vt ab æqui-
 tate noſtra, ad tyrannidem ſuam defectionem ſol-
 licitaret? & in hoc pariter, quam extiteris illo ſa-
 gacior, quam perſpicacior, vel inde liquet, quod
 ille ne literas quidem extremis, vt aiunt, labris
 prælibarit, tu verò quam poteſt fieri penitiſſimè,
 perueſtigaueris: An auri ſacra fame te te pellexiſ-
 ſet ad ſuas partes? ſciebat equidem fœcunda te
 malle paupertate ditelcere cum Paulinis & Ana-
 ſtaſiis, quàm circumfluere diuitiis, quæ dum ocu-
 los illuſtrant, intimam mentis aciem caligine te-
 nebrarum offundunt: Incutiebat tibi malleum, ſed

Pario tibi marmore, vel adamantina potius duritie rigescebat pectus, vel ipso fortius ære triplici, quod in tenaci mentis suæ viro Lyricus ille quondam desiderabat. Imponebat onera, sed quo ingruerat ille ponderosius, eo generosior semper palmaris animus obnitebatur. Despumabat in te, velut efferuescentis Pelagi fretum in cautes, sed tibi perinde mens inconcussa semper sedit in pectore, atque si decumani fluctus procella, in oppositum saxum totis vndarum furoribus incubisset.

Efferebaris ad hæc, Mazarine, vtinam disrumpi potuisses, cum aduerteres in vno plus esse roboris ARCHIPRÆSVLE, quam in millenis aliis Imperatoribus, quos factionis tuæ quamquam innocuos sectatores magicis incantatos artibus tibi deuinxeras: Sed Circeas illas tuas virgas despicit Ecclesiastica virtus, & præstigiis nullis potest hebescere, quæ vel aduersus solaris etiam luminis iubar licitatur. Habe tibi tuos duces, dum nobis Antistes noster præcedat in signiferum: vendita vires tuas auxiliares, dum fias armando sacrilegus: minitare, dum sit præsul nobis imperterritus: hoc vnum dumtaxat timendum incumbit nobis ne despicienda denique sit ipsa tui victoria quem humiliorem ignorat nemo, quàm vt æquissimo tanti præsulis furori victima esse merearis.

Properaret ad exitum oratio **PARISIENSIVM**
PRAESVL MERITISSIME, nisi iuberetur hæ-

rere tantisper , vt te procedentem per confertas militum turmas & animos accendentem ad prælia demiretur. Cum enim de magnanimitate tua Panegyrim institueram , eam interpretabar animi magnitudinem , quæ vel ad solitudinem in heremis sine comite tranfigendam desideratur. Inconsultæ plerumque teneritatis est cæcam proiicere animam ad pericula , è quibus eripiendæ salutis , aut nulla suppetit , aut certe difficilis ratio : & furoris potius , quam magnitudinis animi dixerim indicium , non timere , quod vnum maxime sapientissimo cuilibet mortali , dum mortalis est , timendum incumbit. Christianè magnanimus est , vel extra sanguinem , & vulnera , qui sui semper potens , nunquam impos rebellantium animi libidinum effrenatos impetus ita cohibet , vt nunquam vel adnitenti etiam ipfarum omni superbix succumbat. Magnanimus est , qui se sine pudore virtutis ostentat affectam , neque pensi habens quis de se apud intemperantes futurus sit rumor , inconcusso semper vestigio progreditur in stadio virtutis. Christianè , inquam magnanimus est **ANTISTES REVERENDISSIME** , qui te ipsum æmulatus , adulatoriis nunquam verborum officiis intemperantissimæ procerum licentiæ suffragatur , à quo nihil eblanditur ambitio ad Panegyrim , nihil extorquere potest improbitas ad suffragium , ad encomium denique , nihil ignaua suppalpantium aulicorum desidia vel infidiatrix eliciat.

Si

Si te nondum nosti (cui videlicet adimat iniquior modestia proprię virtutis obtutum) in hoc te tuis expresso delineamenti caractere totum intuere. Hęc te siquidem Christiana Magnanimitas contra Mazarinum ita commendauit , vt te vel propterea dignissimum tanti culminis , in quo resides , sessorem nemo non existimet ; innumera quamquam dotes , suffragante virtutibus tuis regum nostrorum æquitate , in hoc te fastigium imposuissent. Sed intimis illis domesticarum angustiarum cancellis cohibere noluisti Magnanimitatem , qui nimirum & equestris & pedestris ipse legionis præfectus , etiam ambieris inter generosissimos quosque heroas annumerari , cum nupera in Mazarinos , expeditione vel socordiores etiam animos faceres imperterritos ad vulnera , quibus eloquij tui magnanimis veneribus dabas illecebras. Carrapham profecto tunc temporis credidissemus reuixisse , nisi vel Mustapha longè viliorrem impugnandum hostem habuisses : Reuocatum dixissemus à manibus Petrum Albuffonium , si stetisset contra te Mahometes : Paulum iudicassetus Thomorem stetisse rediuuium in acie , si tibi fata Solimanum opposuissent : Sed qui tantus procederes contra tantulum , pendebamus tibine , si vinceret , an Mazarino , si succumberet , maior gloria deberetur , cui videlicet nihil accidere poterat vnquam illustrius , quam si , vel sub insigni catenarum tuarum pondere , te te triumphalem adoraret.

Quid aliud superest modò, PRÆSVL ILLV-
STRISIME, nisi vt hos tibi contexamus in stem-
ma, palmares furculos, quos sine te nunquam de-
mefuissemus, vt hæc tibi publica gratitudine de-
beat foelicitas, quam esse breuî sperandam, nefas
est dubitare, si te te authorem aduerterimus, vt
denique tuis augustissimis humeris imponendus
Mazarino eripiatur Ecclesiasticus murex, quem
tibi tanto debemus æquius, quanto iniquius ille
purpurato hoc illustris amictu superbiebat. In
hanc certe mentem votis omnibus nostris impu-
gnabitur Pontificiæ Thiaræ culmen editissimum,
vt inter purpuratos assessores esse patiat, quem
& ab eiusmodi satum maioribus & iisdem ac-
censendum potiori iure, non inficias iuerit, quis-
quis te inter scientiarum aquilas perspicacissimum,
inter Euangelij præcones Eloquentissimum, ar-
dentissimum inter pietatis asseclas, inter acerrimos
denique vitiorum impugnatores, generosissimum
esse vel ipsa tota suffragante Gallia meminerit.

Adolesce vulgo maturius, LVDVICE noster
(neque enim communi cum aliis lege æquum est
vt pubescas, & si gigantæis meditaris gradibus af-
surgere ad Arcadiorum victorias, subtrahe te te
velocius infami tui Scironis administrationi, vt
in Arsenij nostri sinum inuoles: iste te faciet Hu-
bertus Othonem, iste te Firmianus Chrispum,
iste te Mæcenas Augustum, iste te denique Stagiri-
tes Alexandrum informabit.

Quid enim de mascula & virili tanti Herois tutela non sperandum incumbit tibi, qui hactenus ad euiratam Trinacrii Cycloplis disciplinam excultus, etiam in Septennali defidia redegeris eò leones & Aquilas, vt ipsas etiam infantiles cunas tuas, cicure suppalpantes obsequio, tibi denique molliores famularentur. An non vltra Tartesium frentum frementium nequidquam leonum, sub Gondæo compelles ferocientes iubas, qui vel sub infami Mazarino, procedere aufas vltius proterrueris? an non vtramque succides alam impune volantibus aquilis, quæ, te, vel intra thenias & vittas adhuc vagiente, videlicet obtorpuerunt? an non sapientissimi Præsulis auspiciis etiam in Libano demetes triumphales illas palmas, quas ex profuso maiorum tuorum sanguine fruticatas esse non ignoraueris.

In hanc profecto credimus crescere te tantæ virtutis expectationem, sed hoc tamen præ cæteris expectimus impensissime, vt ad regales Britannici sanguinis lesus & Nærias, non ante refrigerescere patiaris exardescantium armorum tuorum præliarum tumultus, quam te parricidæ, Themidis Anglicanæ lances senserint vltorem, tantoque seueriorem sceleratissimis iudicibus pœnam inflexeris, quanto iniquius sacrilegas illi manus in augustum Stuarti Porphyrogeniti caput iniecere. Huic te si deuoueris vltorem insolenti posthac iniuriæ, si gloriæ meditatus fueris vel editissimum apicem, si ma-

iorum etiam tuorum transcendere palmas ambie-
ris Heroicas, Gondæo te subiice ad pietatem, vt ad
rectissimam ipsius informatus amussim, supra ma-
gnitudinis etiam humanæ fastigium eueharis.

FINIS.



